

OTTO MAGNVS IMPERATOR.



Otto filius fuit Heinrici Cæsaris & Saxonie ducis, atq; Mechtildis Theodorici Saxonis filiae. Cum autem mira quædā uirtus in adolescentia optimè educato reluceret, procerum consensu Aquisgrani Cæsar electus, & à Hildeberto Moguntino Episcopo (quem pater ex Fuldensi monasterio ob uitæ sanctimoniam & literarum cultū eò promouerat) iunctus fuit. Quam uero prudenter & strenuum principē egerit benedictio accepta, uel hinc patet, quod rebelliones, coniurationes, & intestinas discordias statim ortas, insigni prudentia sedauit ac compescuit. Nam eo tempore mortuo Arnolpho Bauarorum duce, eius filij ambitione ducti regi rebellant. Cum enim rex ducatum fratris Bertholdi dedisset, ipsi Comitatum respuebant. Præterea nouæ discordię inter Heinricum regis fratrem & Eberhardum Francorum ducem, propter uasallorum iura obortę sunt. Itaque Eberhardus superior existens Heinricum cœpit, atq; uinctum instar mancipij circumduxit, coniuratione quadam cum Danquardo Ottonis ex concubina fratre iunctus, qui sibi Saxoniam post Sigifridi obitum, quam rex Gereoni comiti dederat, contra eius uoluntatem usurpabat. Quocirca ducto contra Danquardum exercitu, is superatur, atq; in templum fugiens ab irato milite confuditur.